

... et p...
 ... ex p...
 ... **Q**u...
 ... qua...
 ... fenu...
 ... pmanes...
 ... ga uat...
 ... **P**...
 ... uris...
 ... fili...
 ... ne...
 ... nobis...
 ... **Q**u...
 ... **ne se po**...
 ... qua...
 ... no du...
 ... inoce...
 ... **Q**u...
 ... **Q**u...
 ... **Q**u...

Hic s. Conuentionibus
 nobis unum in hoc est
 dominica cena memoranda. In
 quibus enim sua cena plerumque
 admittuntur. Et alii quidem
 esurit. alius autem eius est.
Nam quid domos non habent ad
 manducandum. et bibendum. et
 ecclesiarum diuine corporis. et co
 stidius eos qui non habent.
Quod dicitur nobis: Laudo uos
 in hoc me laudo. Ego enim ac
 cepti a domino: quod et tradidi uobis.
 quia dominus ihesus magis nocte tunc
 habet. accepit panes et gratias
 agens fregit et dixit. **H**oc est cor
 pus meum quod pro uobis dedit.
 hoc facite in meam commemora
 tionem. **S**umit et calicem postquam
 cenauerit dicens. **H**ic calice me
 um testamentum est in meo sanguine

O C E L L U S.

Sanctæ Jugæ, & Casto Amori
dicatus

Et

In nuptiarum festiuitate

V I R O

Præstantissimo & Clarissimo

DN. DAVIDI HESSO

U. J. C. ac præfecto pro tempore Werthe-
riano meritissimo,

cum ipsi

Virgo Lectissima & Pudicissima

GERDRUDA

Viri Amplissimi, & Integerrimi

CHRISTOPHORI LINDNERI

præposituræ Cathedralis Ecclesiæ Naum-
burg. Præfecti.

FILIA

matrimonio ibidem 6. Calend. Jun. jungeretur

Metrica struice adornatus ac transmissus

Boni ominis ergo

ab

Amicis affinibus & Fautoribus.

J E N Æ

TYPIS LIPPOLDIANIS. MDCVI.



266.

10



Hanc
Nunc
Idq; p
Evet
Scilicet
Unus a
Unus a
V
Omni
Sed qu
I
Non ti
M



I.

Ergonè succumbit tenero meus Hæssus amanti?
Et tremulo geminas porrigit ore manus?
Ergò nec illecebræ Phœbi, neq; palladis artes,
Jura nec arguti litigiosa fori
Hanc flammam potuere suis restringere lymphis,
Et misero subitam ferre salutis opem?
Nunc jacet, & languet, parvoq; Cupidine victus
Ardet, & ingenti totus amore calet.
Idq; petit nomen, cujus sub numine radit
Per mare suspensum Daulias ales iter,
Et veteres repetens nidos, quos improbus hospes
Dejecit, luteam fingit ut ante domum.
Scilicet unus amor sibi subijcit omnia: Cælo
Imperat in priscos jus habet ille Deos.
Unus amor rapidos subter mare suscitât ignes,
Et pedibus terras proterit unus amor.
Unus amor furvas penetrans Acherontis ad undas,
Victrici statuit clara trophæa manu.
Omnia vincit amor: neq; nos pugnemus amanti,
Hoc patienter onus qui capit, ille sapit,
Sed quid opus tandem vanis ô amice querelis?
Ille tuus potius laude vehendus amor.
Non tibi Phœbeas, non Palladis excutit artes,
Nec jubet auriferi jura filere fori:

A 2

Sed

Sed sperata diu placidæ dabit ocia vitæ,
 Et tibi magnificas adnumerabit opes,
 Progeniemq; tuæ quæ tota sit æmula laudis,
 Et patriæ columen, præsidiumq; feret.
 Tanta tuæ pietas Sponsæ, pudibundaq; formæ
 Gratia: sub casto pectore tanta fides,
 Tantus amor, blandi patientia tanta mariti,
 Curaq; securæ non onerosa domus.
 Quot tibi versiculos pulcher dictavit Apollo
 Ut tibi cum clariis Jena rigaret aquis:
 Tot tibi, tot Sponsæ, sed non nisi mollia vitæ
 Secla precor. Felix quem pius urit amor.

M. Wolfgangus Heider Ethic. & Physic.
 Prof. Publ.

II.

PARODIA HORATIANA

ex 2. Carm. Oda 5.

Nunc, en! Subactâ ferre jugum vales
 Cervice, nunc en! munia comparis
 Equare, GERTRUDIS, maritiq;
 Hæsiacum tolerare pondus.
 Circa virentes est animus tuæ
 Campos puellæ, nunc animi Jocis
 Solantis æstum, nunc in ulnis
 Ludere basiolis cupitis
 Prægestientis. Carpe cupidinem
 Nymphæ expetite, olim tibi vividos
 Distingves Autumnus racemos
 Filioli varius susurro.

Hæc

Hæc te sequetur. Crescit enim calor,
Flammæq; & illi, quos tibi voveris,
Apponet ignes, Jam sequentem

Fronte petet sociamartum,
GERNTHUDIS, Isaâci ut labiis sui
REBECCA adhæret, sic humero nitens
Ut pura nocturna renidet

Luna mari, roseusq; Titan.
Hanc quis puellarum insereret choro?

Invitus HESSUS. Pectora nuptiis
Connexa seris, & solutis
Mercibus innocuâq; Zonâ.

Sint, opto, vobis sidera prospera,
Felixq; fatum Numine pronubo.

QUOD JOVASANCIT JUSTUS AUCTOR
AUSPICIIS BEAT OMNE LOETIS.

M. Thomas Sagittarius P. Cæsar. &
Gr. Ling. Professor Publ.

III.

DUM te Cyprigenæ puer Cupido
Captivum trahit, & perurit igne,
HE SSE, ô flos juvenum venustiorum,
Quem quadrata trias colit Sororum,
Captat te laqueis ocellulorum,
Mulcet dulcicula allocutione,
Vincit aureolis suis capillis;
Tot tibi hendecasyllabi minuti,
Incompti pariter, venustuliq;
Optant delicias, jocationes,
Risus, nequitias, suavitates,

A 3

Lu-

Lusus, blanditias, facetiasq;
Et quodcunq; potest juvenulorum,
Et quodcunq; potest juvenularum
Titillare animos, Cupidinisq;
Lentis ignibus ustulare pectus;
Quot conjuncta toro tibi movebit
Risus, delicias, jocationes,
Jocus, blanditias & illecebras,
Et suspiria, & oscula, & susurros,
Et quicquid male- sana corda amantum
Vultu & vocibus excitat jocosis,
Dilectissima Sponsa, nocte prima
Non frustra haectenus elegantiori
Vitæ deditus, entheo calore,
Exorare Novensiles Sorores,
Et sacram voluisti amare Divam,
Quam cingit Nemesis, Themisq; cingit.
En jam præmia fers tui laboris,
En jam munus habes sagacitatis.
Pulvinaribus accubas Dearum,
Et famam & decus eruditionis
Seclis consecrat omnibus Moneta,
Quod Dicen voluisti amare, & almas
Exorare Novensiles Sorores.
Nam qui diligit unicè Camœnas,
Hic & diligitur sacris Camœnis.
Exantlata pericula & labores
Puellus Veneris, Venus puella
Compensant, tibi præstinantq; Nympham,
Quæ mellita fiet, venusta tota,

Et

Et sit blandula, sitq; delicata,
 Nil ut blandius atq; delicatum,
 Mellitumq; fiet mage aut venustum;
 Curarum ut simul & simul laborum
 Sit levamen, & intuens ocellis
 In te furanimis loquacibusq;
 Instillet thalami bifulcum amorem,
 Et vultu, & labiis, & ore hiulco,
 Sic ut de numero venustiarum
 Non locum inveniat puellularum
 Puella altera, quæ venusta tota,
 Blanda, mellea, sitq; delicata,
 Nil ut blandius atq; delicatum
 Mollitumq; queat mage aut venustum
 Esse, atq; unanimos movere sensus.
 Has ergo enumera beatitates,
 Atq; annum hunc criticum nota lapillo
 Albo. Namq; Dei benignitatem
 Sensisti satis: à Deo petiisti
 Da pater mihi ConIVgeM: DeCoraM
 Verbls: CorDe VIGenteM: & ô pVDICaM:
 Evenêre. Dei benignitatem
 Habes in manibus, vides decoram
 Verbis, corde vigentem, & ô pudicam
 Conjugem. Has celebra beatitates,
 Hanc ad lætitiã adde lætiores,
 Adde gaudia mille, mille, mille.
 At quid turgidulos, Puella, ocellos
 Sponsa, avertis, & amoves genarum
 Fulgorem? ah nimium pudica, nescis,

Anno
 1606.
 Da con-
 jugem:
 Decoram
 verbis:
 Corde vi-
 gentem:
 Pudicam.

Nescis

Nescis quot Charites, Lubentiæq;
Inter gaudia fabulationes,
Lusus, basia, blanda murmurilla,
Morsus, nequitia proterviores,
Occultiq; joci, facetiaq;
Concordi in thalamo & patente regnent.
Omnem tolle metum, puella quæ nunc
Es & Sponsa hodiè, audies deinceps
Justo tempore Mater, & tenellam
In charo sobolem sinu fovebis.
Felix lectulus ille Conjugalis,
Qui vestros simul audiet calores,
Qui vestros simul arguet susurros,
Qui vos basia basiare centum,
Qui vos suavia mille suaviari,
Et suspiria, morfiunculasq;
Conchatim oscula, vellicationes,
Et quicquid Venus approbat jubetq;
Ventilante faces Amore, cernet.
Nam quis ô hilarem! hæc labella suget?
Aut quis, ô hilarem! has genas prehendet?
Et quis, ô hilarem! imprimendo linquet
Notas? quis spolia ore, dente, labris?
Quisnam cætera, quæ jubet voluptas
Amantum, accipiet? quis? ô quis ille
Tam felix quater & quater beatus?
Nempe Sponsus erit quater beatus,
Qui candentia gutture ex eburno
Captabit spolia, & notas relinquet,
Tanget auriculas, genas prehendet,

Su-

65
Sugetq; Idalium per ora nectar.
Sed jam vesper adest, novos amores
Portans, atq; animæ flagrantiores
Afflatus. Age Sponsa, & euge Sponse
Ite in gaudia mutuosq; lusus.
Dens rixas cieat, manus laceffens
Lites commoveat, levesq; pugnas.
Hinc os se medium det, & susurros
Lingvæ admisceat, in sinuq; amico
Pacem conciliet, jocosq; paci,
Et lusus similes, jocisq; morsus,
Amplexus similes & his & illis,
Libertas jubet hoc Venusq; mater,
Dum fessas sopor irrigat medullas.
Vos lux craftina, quando Sol calores
Movebit rapidos, vocabit ultrò
In hortum viridem meridiatum,
Mandans Idalia fovere lymphæ
Accensum ignem, aliosq; adire lusus.
Surgamus. Genialis ante lectum
Hymen saltitat: Haud videre cunctis
Fas hæc sacra Dei. Venite Nymphæ,
Ad lusus similes vocabit & vos
Sors, Natus Veneris, Venusq; mater.
O quantum est hominum venustiorum
Optate, ut thalami status pudici
Plus uno vigeat perenne seculo.
Præsit pax animosq; conjugali
Vinclo copulet implicetq; ut ulmus
Ramos copulat implicatq; vitis:

B

Adfint

Adsint tres Charites benignitasq;
 Præfens cœlica & usq;, & usq;, & usq;.
 Tandem parvulus integellulusq;
 Natus *Hessulus* exeat, suæq;
 Matris è gremio manus tenellas
 Protendens & Avum & patrem prehendar,
 Ac mensæ parasitulus recentes
 Addat delicias, novosq; amores.
 Hinc & *Hessula* parva Lindnerina
 Nascatur, duplicetq; Avi & parentum
 Lusus, & generis decus propaget.
 Confirmet Deus approbatione
 Votum hoc, ut meditullitus maritum
 Conjux diligat, & suam maritam
 Conjux ut meditullitus parurat,
 Hanc magno colat augeatq; amore,
 Hanc servet patrio impleatq; more,
 Huic plus basia millies det ore,
 Præstet seq; hilarem & virum bonum re.
 Unde quis Venerem auspiciorem
 Credat? quosq; homines beatiore?

Christianus Podenstein Schneber-
gensis Scholæ Witzlebianæ, quæ
est ad Onestrum, Rector.

IV.

Quem tot nominibus tantis & honoribus augent
 Gratia, Suada, Themis, Phœbus, & alma Venus,
 Huic graciles elegos mea, si qua, negare Camœna
 Quâ ratione velit, quâ ratione queat?

Non

65
Non frustra BECHLERE petis, quod me petis, ipsum hoc
Debitus optat honor, mutuus urget amor;

Cognovi HESSIADEM primo quo tempore Jenam
Adveni, ut didici rectius, ut colui!

Clara viro fuerat fuerat fama inclyta, vel tūc
Cūm mihi adhuc nutrix Norica Pallas erat;

Nec poterat latuisse ob tanta encomia Morum,
Et lingua, & gemini Juris, itemq; metri.

Testor ego laurum, quā vatem cinxerat olim
Cinctor Apollo, & mox cinxerit ipsa Themis,

Cinxerit ipsa Venus, quin jam nunc cingit, & hoc est
Cui modò gratatum nostra Thalia venit.

Ergo novis quidnam Sponsis precer? hoc precor, ut sit
Unum atq; in gemino corpore pectus idem;

Sit Lar placatus, sint propitiiq; Penates
Sui facilis Juno, sitq; benigna Ceres.

Joh: Cellarius F. Nor.

v.

TVta frequensq; via est, medios ostendere casto
Connubio digitos, tuta frequensq; via est.

Tuta frequensq; via est, impuris ignibus uri,
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Casta etenim mens est Deus, & quocq; diligit ignes
Castos, conjugij foedera casta probat.

Ipse piam Adamo donat bonitate maritam,
Legitimo mandat jure coire duos.

Hinc qui spurcificæ Veneris foedissima castra
Sectantur, punit persequiturq; Deus.

Egregia arx Priami multos dominata per annos
Excisa, hinc stuprum causa caputq; fuit.

B 2

Immun-

Immundo miserè commissa est atra Gomorrha
Vulcano, stuprum causa caputq; fuit.
Quid? Fatalis aquæ spaciosum perdidit orbem
Diluvies, stuprum causa caputq; fuit.
Ite greges Monachûm impuri, procul ite nefandi
Mœchi, & abite procul fulmina dira Papæ.
Tu meliore tubâ ductus, doctissime Sponse,
Jam lætus peragis florida festa tori.
Namq; tibi adducit mirâ dulcedine Costam,
Digna q; conjugij vincula nectit, Amor.
Costam; quam pietas commendat, & incluta puræ
Quam celebrat (rarum!) fama pudicitiaë.
Costam; per totum corpus quam Cypria virgo
Humeat grato sanguinis imbre sui.
Costam; quam decorat nomenq; decusq; parentum,
Semina quæ clarî clara parentis habet.
Ergò age, Sponse, tuis complexibus accipe blandis,
Sic tibi lætitiæ causa perennis erit.
Et tu, Sponsa tuum sincero amplectere amore
Sponsum, quem probitas, quem Deus ipse dedit.
Ast tu, summe Deus, thalami reppertor & auctor,
Hoc foedus semper protege, cinge, fove.
Da videant neptes pulcras, blandosq; nepotes,
Et matrem atq; patrem turba jocosa vocet.
Pareat & pariat Sponso castissima Sponsa,
Diligat ille suam, diligat illa suum.
Absit Eris miscens disconvenientia poma,
Absint à tædis unda notusq; ferus.
Adsit Eros, adsit niveis Concordia pennis
Plaudens, sit Costæ Costa propinqua suæ.

*M. Joachimus Piscator
Arterensis.*

VI.

Scilicet Hassiacam sterilem si dicimus oram,
 Et sterilis forsâ quilibet Hesus erit?
 Sic est: semper agronullo qui rore fovetur,
 Pulverulenta nimis surgere arista solet:
 HESSE, audi, si quot cudisti carmina vates
 Tot cernis lecti pignora, an Hesus eris?

M. Nicodemus Lappius
 Rhemdâ-Thu-
 ringus.

VII.

VAna superstitio quondam regnabat, & excors
 Credulitas, dum vulgus iners & futile Majum
 Infestum tædis iufustumq; esse putabat.
 Te nihil hæc Lemurum Lemurumq; minacia terrent
 Spectra, sed ex alto spernis ludibria vulgi.
 Dum thalamo jungis tibi Majò mense puellam,
 Moribus excultam pulcris, pietate decoram,
 Et rarâ insignem formâ, viridicq; juventâ
 Florentem, nec non aliis quoq; dotibus auctam.
 Gratulor, ex animoq; precor sit fertile natis
 Hoc tibi conjugium, dulci sit amore refertum,
 Sit tibi fortunis locuples, sit pace quietum,
 Irarumq; expers: *Castis Deus annue votis.*

Ernestus Bechlerus, Nebusiano-
 Tyrig.

VIII.

MEi versiculi, mei Phaleuci,
 Vos heic sistite quotquot estis omnes,

B 3

Atq;

Atq; audite meam petitionem,
Quin implete meam petitionem.
Quid verò est & erit petitionis?
Hoc unum modò posco, flagitoq;
Politissimus ille David Hessus,
Cultor maximus ille literarum,
Cura & flos Themidisq; & Apollinisq;
In quo cor reverens Dei & sacrorum,
Morum gratia perpolitata, vita,
Ad normam Eumomies amussitata,
Castigata severitas loquela,
Pro re tristis amœnitas leporum,
In quo Pallas habet Patrima sedem,
Utriusq; magistra Juris; inter
Spectatos proceres renunciatur
A pracone Dei novus maritus,
Quà Numburgica te Urbs amœna jactas.
Nunc salvere jubete quot quot estis
Nostri versiculi, & novos honores
Sponso legitimos simulq; amores
Gratulamini, & explicate vestram
Proni laticiam altiore voce.

Johan: Hevertt.

I X.

Sic ergò Themidos cultor, fidissime Sponse
 Digna labore tuo præmia jure capis.
 Nam te non piguit curis superare labores,
 Et Themidis sacris invigilare choris.
 Quamvis radices virtutis & artis amaræ,
 Melle tamen fructus dulcior inde fluit.


Sic

Sic ergo meritis meritos nunc cernis honores,
 Quos Themis & Charites, quos Venus ipsa
 Te Charites Clarum, te Juris in arte peritum (dabit.
 Alma Themis reddit, Cypris amore tori.
 Nunctibi, Sponse, datur GERTRUDULA blandula
 Dotibus insignis, sanguine clara patris. (Sponsa,
 Hujus enim in vultu Charites, in corpore Cypris,
 Ingenio Pallas, stemmate Juno viget.
 Hæc tibi connubio fatali jungitur Uxor,
 Ut possit curis esse medela tuis.
 Esse medela tibi, curareque vulnera cordis,
 Curisque & morbo pharmaca ferre gravi,
 (Dulce est, cui præbet medicamina casta puella,
 Et tales morbos pellere amore queat.)
 Hæc Sponsum faciat multâ te prole parentem,
 Et geminos, Gemino sydere, gignat Amor.
 Votis sed reliquis gratanti pectore vota
 Jungo, precor votis annuet ipse DEUS.
 Adsit amor thalamo Pietas, Constantia, Candor,
 Sit sine lite torus; non sine prole torus.
 Sponsus AMORE tuam redames MORE OREQUE; REQUE
 Sponsam, sponsa tuo parque pari referas.
 Nestoreos vivas felix sic, Sponse, per annos,
 Sponsa Sybillinos transigat ipsa precor.
 Desino, sint vota hæc rata, sint hæc carmina grata
 Carmina amicitiae sint monumenta meæ.
 Sint monumenta meæ, forsitan meliora fovebunt
 Musæ, cum prolem pronuba Juno dabit.

*Paulus Vockelius Arther-
 nensis Consobrinus.*

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs within a rectangular border.



aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
ph lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver. hic homo
di filius erat. Erat aut e' in
heres de lege aliter. Me
qs erat in. Me. Me. Me.
et maria. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
Et cu' e' in. Me. Me. Me. Me.
eu. et misit. Me. Me. Me. Me.
miser q' h'nt. Me. Me. Me. Me.
ultra. **ex.** **E**rat
seru e' in. Me. Me. Me. Me.
erat qd e' in. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
me adpysate. Me. Me. Me. Me.